

illius juris? In qua subtili quaestione & articulo dico resolutivè, quòd si illa solutio & præstatio quæ mihi fiebat, erat mihi personalis, non competit, nec potest competere mihi aliquid ex prædictis remediis possessorii; quia in obligationibus merè personalibus non datur à jure aliquod remedium possessorium: ita probat textus valdè notabilis in *leg. fin. ff. Quorum bonorum*, cujus verba sunt, *interdicto quorum bonorum debitorum hereditarii non tenentur, sed tantum corporum possessores*, & ibi notant Bart. Angel. & communiter DD. (A) Confirmatur ratione: quia illud tantum possidetur, quòd ipsa apprehensione vel possessione non extinguitur, sed remanet in esse & natura; sed actiones vel obligationes merè personales per solutionem debiti extinguuntur: unde actus qui debet inducere possessionem, producit oppositum, & eam extinguit: ita subtiliter Bald. in *cap. Querelam*, 4. column. num. 15. extra, de *election.* & istam rationem ante eum posuit Rofred. in *Rubr. de interdicto, unde vi*, 10. column. versic. *Item dicunt*. Confirmatur, quia licet aliqua possessio possit considerari in iuribus & actionibus personalibus, illa est impropriissima, quæ non causat aliquod remedium possessorium: Ita Gloss. singularis ordinaria in *leg. Regulariter. ff. de Petit. her.* Si verò illa solutio vel præstatio continet etiam jus reale, ut solutio alicujus census vel pensionis pro aliqua re, in signum subjectionis vel census impositi super aliqua re; tunc benè competunt prædicta remedia possessoria *retinendæ, recuperandæ, & adipiscendæ* in suis casibus: textus est notabilis qui sic debet intelligi in *cap. Querelam*, versic. *final. extra, de election.* per quem istam theoreticam & doctrinam ponit Cin. in *leg. Si certis annis, Cod. de Pactis, fin. quest.* Alberic. *ibi*, 2. column. in *fin.* Bald. *penult. column. num. 19.* & ante eos Jacob. de Ravenn. *ibi*, eam etiam ponit Bartol. & ista est intentio ejus in *leg. fin. ff. Quorum bonorum*, & ibi Angel. de Perus. idem Angel. reputans esse subtile & menti tenendum in *leg. Regulariter. ff. de Petit. her.* & ibi Bald. 1. *lect.* istam etiam conclusionem & doctrinam ponit Bald. in *leg. 1. Cod. de Fideicommissis*, 2. col. in *princip.* idem etiam tenet notabiliter Joan. Andr.

(A) Valde autem controversa est ista quaestio inter Canonistas, & Legistas; præsertim cum annua quaestio est mere personalis; ut constat ex his quæ latè scripsit Menoch. de *Recuperand. remed.* 1. num. 87. & *retinend.* 3. num. 139. Corral. in §. *Nibil commune in præludiis*, num. 22. & *sequentibus*. Tiraquell. *lib. 1. de Retract.* §. 32. glossa 1. num. 76. §. 1. gloss. 6. num. 32. in qua quaestione verior est opinio negativa Legistarum, quamvis sententia canonistarum æquior videatur, ob idque in omnibus curiis, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, communi usu servetur teste Fabro in §. 1. in *fin. Institut. de her. quem usum pluribus rationibus defendunt Aretin. ibi*, Angel. in *leg. Si certis annis*, column. *penult. Cod. de Pact.*

in *cap. Pervenit. extra, de censibus*, 2. column. in *fin.* & ibi Card. *fin. column. 8. quest.* Anchar. *fin. column. & quest.* Abb. Panorm. 2. column. num. 3. & istam etiam conclusionem & doctrinam tenet Joan. Andr. in *dist. cap. Querelam, penult. column. in princip.* & Cardin. *ibi*, 2. col. 4. *oppos.* & istam conclusionem & doctrinam ego teneo pro vera, & eam in contingencia facti practicavi. Licet Angel. latè in *dist. leg. Si certis annis*, *penult. & fin. column.* teneat contrarium, imò quòd indistinctè pro qualibet præstatione vel annua solutione competant prædicta remedia possessoria; & idem tenent etiam Angel. de Aret. in *princ. Inst. de interdictis*. Ant. Butr. in *dist. cap. Querelam*, 2. column. n. 27. Imol. *ibi*, 3. column. in *princip. num. 10.* Balduin. *ibi*, 4. column. num. 15. Abb. *ibi* sibi contrarius *penult. column. in princip. num. 12.* ubi dicit, quòd dispositio illius textus habet etiam locum in obligatione personali, vel quando non apparet de qualitate obligationis; quia licet non sit dare possessionem vel quasi in annua præstatione, tamen creditor potest petere ut restituatur in illo statu, in quo erat tempore præstationis: Rofred. in *titul. de Interdictis unde vi*, 9. column. n. 23. ubi latè & notabiliter loquitur, in quantum simpliciter & indistinctè loquitur. Tenendo tamen primam veram & magis communem opinionem, quam tenui, illam extende, ut sufficiat una tantum solutio & præstatio pensionis: ita notabiliter Angel. in *dist. leg. Si certis annis*. item tenet Imol. in *dist. cap. Querelam*, 3. column. *num. 10.* Ex qua superiori doctrina & resolutione infero notabiliter, quòd si defunctus non erat in possessione vel quasi-annua præstationis, potest hæres institutus in testamento petere se mitti in possessionem ejusdem annua præstationis, beneficio text. in *l. fin. Cod. de Edict. divi Adrian.* toll. & in specie reperio quòd ita tenet solus Angel. in *dist. leg. Si certis annis, fin. column. in fin. Cod. de Pactis*. tenet etiam & reputat singulare Angel. de Aretin. in §. 1. *Instit. de interdictis*. Quod tamen intellige secundum superiorem distinctionem.

Præterea etiam noviter & subtiliter quaero, an in dominio, quòd quis habet in re sua mobili vel immobili, detur possessio, ut si turbetur in eo

competat sibi remedium *retinendæ*; vel aliud remedium possessorium, sicut datur & competit pro servitutibus, & personalibus præstationibus, & aliis iuribus incorporalibus? Et breviter dico quòd non: unde, vel debet agere iudicio reali proprietatis, vel remedio *leg. Diffamari* & in expresso ita tenet Bald. in *leg. pen. Cod. Si à non compet. judic. penult. col. n. 12.* & ante ipsum Bart. in *leg. Ait prætor*, §. 1. *ff. Ex quibus causis majores*, idem Bart. in *leg. Naturaliter. ff. de Acquirend. posses.* & ibi Cuman. Alex. & Jas. idem Bart. in *leg. 1. ff. Uti possidetis*, 2. col. num. 3. cujus ratio est, quia dominium, & effectus ejus non consistit, nec augetur à facto adversarii; possessio verò in iuribus incorporalibus sic, imò ab ejus facto & patientia producitur. Vel aliter ultra eos dico, quòd secunda ratio potest esse: quia si dominus intentaret remedium possessorium pro ipso dominio possessio, oporteret probare dominium, quòd est difficillimum, & aliter non posset probare possessionem ejus, & potius diceretur obtinere in petitorio, quam possessorio; & sic merito remedia possessoria non dantur pro dominio, & sic jura acommoventur distincta remedia pro dominio, & possessione.

173 Item circa nostram materiam necessariò quaero, quid debeat petere, & concludere actor ut obtineat in hoc interdicto *uti possidetis*? In quo breviter dico, quòd actor debet dicere se possessorem, & reum conventum turbare eum in sua possessione, & insuper petere quòd pronuntietur possessor, & reus à molestatione desistat, & in futurum eum non molestat, & condemnatur ad interesse molestationis præteritæ: ita probat text. in *leg. 1. in princip. ff. Uti possid.* text. in §. *Est igitur, ejusdem leg. text. in leg. Si duo*, §. *fin. ff. eodem titul.* & resolutivè istam doctrinam ponit Bart. in *leg. 1. §. Interdictum*, 3. col. num. 5. *ff. Uti possid.* Angel. de Perus. in §. *Est igitur, ejusdem leg.* Rofred. in *Libellis suis*, in *titul. de Interdictis. Uti possidetis*, 3. col. versic. *Unde in hoc.* Ang. de Aretin. in §. *Quadrupli Institut. de action. antepenult. col. num. 48.* Plat. in §. *Retinendæ Inst. de interdicto* 3. col. vers. *Ad quartum*, Specul. in *titul. de Causa possessionis & prop.* §. 1. 2. column. num. 7.

Similiter etiam actor potest petere sibi satisfdari ne in futurum molestetur: ita probat text. in *leg. unic. vers. final. Cod. Uti possidetis*, & per eum ita tenet ibi Bart. in vers. *Satisfdationis, post principium.* Ang. 3. column. in *mod.* post Jacob. de Raven. idem Bart. in *dist. leg. 1. §. Interdictum. ff. Uti possidetis, fin. column.* ubi plus dicit, quòd talis satisfdatio debet esse perpetua, si jus agentis est perpetuum;

si verò competit sibi jus ad tempus, ut quia haberet usumfructum, vel possessionem ad tempus, satisfdatio deberet præstari pro illo tempore: idem tenet Angel. in §. *Est igitur ejusdem leg. 1. idem Ang. in leg. Si duo*, §. *final. eod. titul.* & facit text. in *leg. penult. ff. de Aqua quotid. & æstiva. text. in leg. 3. §. In hoc interdicto. ff. de Itin. actuque privat. text. in leg. Harum. ff. Si servit. vend. text. in leg. Egi, eodem tit. text. in l. Si usufructus legatus, vers. Cum igitur. ff. de Usufructu.* Sed certè, licet ista opinio sit communis & tenenda, tamen faciliter posset teneri contrarium, imò quòd nulla debeat præstari satisfdatio, quia lege non cavetur. Nec obstat textus, in quo se fundant DD. in *dist. leg. unic. Cod. Uti possidetis.* Quia ibi loquitur in reo convento actione reali, in qua de jure antiquo præstabatur satisfdatio de iudicato solvendo: & ita intelligit ibi Glos. in verb. *Satisfdationis*, vers. *Vel dic verius.* Nec obstat etiam text. in *leg. penult. ff. de Aqua quot. & æstiva.* Quia tantum loquitur de cautione præstanda possessori, ne inquietetur durante lite super proprietate: Nec obstat text. in *leg. 3. §. In hoc interdicto, de itiner. actuque privat.* Quia ibi tantum dicitur, quòd inquietator debet condemnari in interesse turbationis præteritæ: Nec obstat etiam text. in *leg. Harum cum similibus. ff. Si servit. vend.* Quia loquuntur in actione confessoria, in qua actor vincens potest illam cautionem petere pro futuro tempore: quia ex natura obligationis tenetur reus pati servitutem; unde cum obligatio sit successiva, cogitur satisfdare; quia aliter perfectè non adimplet.

Item adde, quòd similiter actor potest agere actione injuriarum civiliter, & criminaliter contra turbantem: text. est in *leg. Injuriarum actio*, §. *final. ff. de Injuriis*, per quem ita tenent ibi Bartol. Angel. de Perus. reputans esse notabilem, & ibi Alexand. in *Addit. ad Bartol.* probat etiam text. in *leg. Item apud Labeonem. §. Si quis bona, eodem titul.* & ibi notat Bart. & communiter DD. text. in *leg. Qui pendentem*, vers. *Cæterum. ff. de Action. empt.* & ibi Paul. de Castr. & alii DD. tenent etiam Bart. post Antiquos in *l. Hoc jure. ff. de Reg. jur.* idem Bartol. in *leg. Stat. ff. Quod metus causa*, 1. column. num. 3. Ang. Imol. & Alexand. in *leg. Cum filius. ff. de Verbor. oblig.* Gloss. ordinaria in *dist. leg. unic. Cod. Uti possidetis*, in verb. *Nec vi*, & ibi communiter DD. Gloss. etiam ordinaria in §. *Hodiè Institut. de interdictis*, & ibi communiter DD.

174 Item quaero, quid debeat principaliter actor probare in hoc interdicto? Et resolutivè dico, quòd debet probare se possidere duobus

temporibus, scilicet, tempore turbationis, & tempore litis contestationis, text. est in leg. 1. ff. *Uti possidetis*: text. in §. *Est igitur*, & in §. *Illud*, & in §. *Interdictum*, ejusdem leg. text. in leg. 2. eod. tit. text. in leg. *Si duos*. §. *Creditoribus*, eod. tit. Item etiam tempore litis contestationis: text. est in §. *Hodie*, Inst. de interd. ita & tenet Bart. in leg. 1. §. fin. column. fin. num. 14. *uti possidetis*. Plat. in §. *Sed interdicto*, Institut. de interd. fin. column. prope finem. Ang. de Aret. in §. *Quadrupli*, antepen. col. num. 48. Attende tamen singulariter, quod licet in specie non probet actor se possidere tempore litis contestatae, sufficit probare se possidere tempore turbationis, & sic ante ceptum iudicium; quia cum possessio saltem civilis, quae sufficit in hoc interdicto, retineatur animo, ut in leg. *Clam possidere*. §. *Qui ad nundinas*. ff. de *Acquir. posses.* illa praesumitur durare, nisi reus conventus probet actus per quos censeatur amissa possessio; argumento text. in leg. 3. §. *In amittenda*, & in leg. *Quemadmodum*, & in leg. *Peregrè*, & in leg. *Si de eo*, §. *Si fortè*, & eorum quae ibi notantur, eod. tit. & ita reperio, quod in terminis tenet Hostiensis in cap. *Cum ad sedem*, de *restitution. spoliat.* 3. col. num. 4. vers. *Vel dic.* Angel. de Aretin. in §. *Retinendae*, Instit. de interd. 3. column. num. 4. licet aliter distinguat ibi Faber. 7. col. num. 21. Similiter attende, quod licet actor non possit obtinere in hoc interdicto, si reus conventus probaverit quod actor non possidebat tempore litis contestatae; tantum illud intelligerem ego, ad hoc ut non pronuncietur possessor, nec condemnatur reus eum non molestare, sed bene obtineret in hoc quod condemnatur reus in interesse turbationis praeteritae, argumento text. in leg. 1. post princip. & in leg. *Si duo*, §. fin. ff. *Uti possid.* Sed hoc videtur mihi valde dubium: nam cum non competat interdictum, per quod veniat reus condemnandus in interesse; videtur quod non possit sequi condemnatio; argumento text. in leg. 4. Cod. *Depositi*, cum simil.

175 Item quinto & principaliter quaero: Quis sit effectus, virtus, & natura hujus interdicti, & qualiter debeat ferri in ea sententia? In quo breviter dico, quod si ex parte actoris reperiantur probata ea quae supra diximus, iudex in sententia pronuntiabit actorem possidere fundum vel rem super qua est controversia: ita probat text. in leg. 1. in princip. ff. *Uti possidetis*: text. in §. *Est igitur*, & in §. *Interdictum*, ejusdem leg. facit text. in leg. *Ex diverso*. §. *Ubi autem*, in princip. ff. de *Rei vind.* & ibi DD. text. in leg. *Pomponius*, §. 1. ff. de *Procur.* text. in leg. *Secuti*. §. *Sed si qua-*

ratur. ff. *Si servitus vindicetur*. Praeterea & secundò condemnabit reum ut à molestia praesenti desistat. Item & tertio, quod in futurum eum non molestat.

Item & quarto condemnabit eum in interesse molestationis praeteritae: ita probat text. in dict. leg. 1. in princip. ff. *Uti possid.* text. in l. *Si duo*, §. fin. eod. tit. text. in leg. *unic.* Cod. *Uti possid.* text. in §. *Retinendae*, Instit. de interd. text. in cap. *Licet causam*, in fin. de *probat.* ita etiam tenet Bart. licet non tam perfecte in leg. *Si duo*, 2. col. num. 4. ff. *Uti possid.* Ang. in §. fin. ejusdem leg. in fin. Item & quinto condemnabit eum ut praestet satisfactionem, quod in futurum ipse, nec haeredes, vel successores ejus eum molestabunt, secundum quod supra proxime dixi.

Attende tamen pro declaratione supra dictorum; quod illud quod supra dixi, quod reus debet condemnari in interesse turbationis praeteritae, debet intelligi ut aestimetur quanti interest actoris possessionem retinere; & non esse turbatam: ita expresse determinat text. in leg. *Si duo*, §. fin. ff. *Uti possid.* ibi: *Sic accipimus quanti uniuscujusque interest possessionem retinere*, & ibi tenet Glos. ordinaria, in verb. *Retinere*, & in glos. fin. vers. *Non tamen dico*, & ibi DD. probat etiam text. in leg. 1. §. *Haec verba*. ff. *Ne vis fiat*.

176 Item adde, quod tantum reus debet condemnari in interesse turbationis praeteritae, si petatur ab actore infra annum, computando à tempore turbationis usque ad tempus litis contestatae; nam postea non poterit petere, quia imputandum est actori qui tanto tempore negligens fuit, text. expresse in dict. l. 1. versic. 1. ff. *Uti possidetis*, cujus verba sunt, *nec pluris quam quanti ea res erit intra annum, quo primum experiendi potestas fuerit, agere permittant*, & intelligo de anno utili, cum sit remedium praetorium, ut probat ibi text. dum dicit *quo primum experiendi potestas fuerit*, &c. & tenent ibi Din. Alberic. Ang. & DD. idem Ang. in l. *Si duo*, §. fin. eod. tit. Quod tamen singulariter intellige isto modo; nam pro turbatione praeterita & interesse ejus non potest actor agere nisi infra annum; & ita procedit ille text. & communis opinio: Sed pro sequentibus turbationibus, à tempore quarum annus non est lapsus, semper & perpetuò poterit agere, quia turbatio semper instat: ita expresse tenet & declarat ibi Glos. ordin. in verb. *Nec pluris*, & ibi Part. fin. col. in fin. vers. *Uterius dicitur hic*; tenet etiam & notabiliter declarat ibi Alber. 3. col. in fin. Ang. ibi in fin. vers. *Conclude*, &c. idem Ang. in l. *Si duo*, §. fin. eod. tit. in fin. Rofr. in *Libellis suis*, in tit. de *Interdict.* *Uti possid.* 4. col. num.

num. 7. ita etiam tenet & declarat Alberic. in leg. *Prætor ait*. §. *final* ff. de *Oper. nov. nuntiation.* Nec obstat quod interdicta rei prosectoria sunt perpetua, ut in leg. *penultim* ff. de *Interd.* Quia verum est quando aliquid pervenit ad reum conventum; secus alias, ut in nostro casu; quia tunc sunt annalia, ut dicit ibi textus & tenent & declarant Angel. & DD. in dict. leg. 1. versic. 1. ff. *Uti possid.* Ex quibus infertur, quod si per decem annos me inquietasti in mea possessione, quod non condemnabit te iudex in interesse turbationis novem annorum praeteritorum, sed solum in interesse ultimi anni, & ut desistas nunc & in futurum me turbare & molestare: & in specie ita declarant Alberic. & Angel. in dict. leg. 1. versic. 1. Infertur etiam & secundò declaratio ad Glossam notabilem & communem opinionem in leg. *Clam possidere*. §. *Qui ad nundinas*. ff. de *Acquirenda possession.* ubi habetur, quod si ego habeo civilem possessionem, tu verò naturalem; quo casu possum agere hoc interdicto ut restituas mihi naturalem possessionem, sine qua semper dico turbari; quod procedat respectu condemnationis, & restitutionis; secus verò respectu interesse annorum praeteritorum, quia in illo non potest reus condemnari.

Item adde, quod istud interesse, quod actor petit pro ista vi turbativa, seu inquietativa, potest probari solo suo juramento in litem, quando dolo fuit adhibita molestia per reum; secus si culpa, ignorantia, vel ex alia causa: istam doctrinam & conclusionem colligo ex text. cum Gloss. notabili in leg. *Semper*. §. *In hoc interdicto*. ff. *Quod vi aut clam*, in verb. *Juraverit*, ubi dicit text. quod si quis aedificavit in re vel fundo alicujus clam, potest actor virtute illius interdicti petere destrui opus, & sibi solvi interesse, quod potest probari juramento actoris: & dicit Glossa *si dolo fecit opus, secus si culpa*: ex qua Glossa colligit Angel. de Perus. ibi regulam notabilem, quod si actor agit pro quacumque violentia expulsiva, vel inquietativa, turbativa vel compulsiva contra reum dolosum, interesse potest probari per suum juramentum in litem: & in expressò istam conclusionem tenet Innocent. per textum ibi in cap. *final*. *Quod metus causa* 1. column. num. 3. & per Gloss. in dict. leg. *Semper*. §. *Hoc interdicto*, quod vi aut clam, & ibi tenent communiter DD. tenet etiam notabiliter Salycet. in leg. *Si quando*. Cod. *Unde vi*. 2. column. 5. quaest. in princip. & in expresso istam conclusionem tenet Glossa in leg. *Si duo*. §. *final*, in glossa. 1. ff. *Uti possid.*

Item adde, quod si virtute hujus interdicti reus sit condemnatus, & fortè postea molestat & inquietat, actor poterit petere executionem

sententiae contra eum pro damno & interesse molestiae, & pro pænis contentis in sententia: Et hoc fundatur tali ratione; quia cum virtus hujus interdicti, & sententia in eo lata respiciat tempus futurum, & molestiam successivam, ut supra conclusum est, sequitur quod pro futura molestia potest sententia executioni mandari, alias quolibet die & hora oporteret litigare de novo. Confirmatur etiam per textum singularem in proposito in leg. *Inter Castellanum*. ff. de *Arbitris*, ubi est casus secundum communem intellectum, quod in his quae habent causam successivam non sufficit ab initio factum vel impletum, nisi perseverantia subsequatur & continuatur: & ad hoc notant ibi Bart. Bald. Alb. & communiter DD. & in specie ad hoc notat illum textum Bald. in leg. *Sed & si possessori*. ff. de *Jurejur.* 2. column. in princip. ubi dicit, quod quando poena accedit sententiae in iudicio reali, vel mixto, non liberatur à poena qui semel obtemperavit, nisi perseveret: facit etiam textus in leg. *Corruptionem*. Cod. de *Usufruct.* juncta communi sententia, ubi habetur, quod in servitutibus, ex eo quia non potest dari perfecta traditio, requiritur patientia successiva ex parte debitoris, & dicitur impedire servitutum & in poenam incidere si aliquo tempore resistat.

177 Praeterea juxta hoc in nostra materia quaero de utili & subtili quaestione, si actor egit hoc interdicto *uti possidetis*, & reus fuit absolutus, & post sententiam incipit reus molestare actorem, an actor possit iterum agere hoc interdicto contra reum absolutum, dicens quod de novo turbatur? & an reus possit eum repellere exceptione rei judicatae virtute sententiae absolutoriae latae? Et videtur quod, non obstante sententia, actor possit iterum agere, quia ista nova turbatio debet esse causa hujus interdicti proponendi; sicut diximus in rei vindicatione, quod ex nova possessione datur rei vindicatio contra semel absolutum: textus est in leg. *Procurator ad exhibendum*. ff. *Rem rat. haber.* textus in leg. *Si rem meam*. ff. de *Except. rei judic.* text. in leg. *Si quis ad exhibend.* eod. tit. text. in leg. 3. Cod. *ad exhibend.* textus in leg. *Sed & si postea*. ff. de *Noxa*. Contrarium tamen videtur, quia hoc remedium possessorium *uti possidetis* competit actori ratione possessionis, & ita praesumitur eadem, & continuata; unde pro eadem videtur nunc istud remedium intentari, & sic videtur obstare exceptio rei judicatae, cum super eadem re, causa, & inter easdem personas sit lata: argumento text. in leg. *Cum quaeritur*, cum leg. *sequenti*, & ff. de *Except. rei judic.* & in leg. *Qui jurasse*. §. *Si pater*. ff. de *Jurejurand.* Sed pro vera doctrina & resolutione in hac quaestione dico, quod si sententia absolutoria pro reo est

lata, ex eo quia non turbavit actorem prout in hoc interdicto requiritur, & nunc incipit turbare post sententiam absolutoriam latam; tunc optime potest actor de novo agere contra eum ratione novæ turbationis; nec obstat ei exceptio rei iudicatæ; quia cum ista sit nova causa & turbatio, & novum agendi principium, merito datur & competit actori istud remedium & interdictum *uti possidetis*, & tunc actor debet esse cautus, ut probet turbationem esse factam post sententiam. Si verò sententia absolutoria est lata pro reo, ex defectu possessionis ipsius actoris; quia iudex absolvit ex eo quod actor non possidebat, vel absolvit quia deficiebat sibi qualitas justificata possessionis in hoc remedio requisitæ, ut quia possidebat clam, vi, vel precario ab adversario, & sic à reo absoluto; tunc actor iterum non poterit agere, quia obstat exceptio rei iudicatæ, nisi velit agere ex nova possessione, vel ex nova causa & qualitate possidendi, per quam prima qualitas possidendi mutata sit: argumento textus in *leg. 3. §. Illud*, & in *leg. Qui bona fide. §. 1. ff. de Acquirenda possessione. & in leg. Non solum. §. 1. ff. de Usucap. & in leg. 2. §. final. ff. de Usucap. pro emptor. & in leg. penultim. & final. ff. Si pars hered. petat. & in leg. Cum nemo, cum materia. Cod. de Acquir. posses. & in leg. final. in princip. ff. de Precario. Si verò nulla causa absolutiois fuit posita in sententia, vel causa est dubia, quia iudex dixit: *Absolvo reum, quia actor non probavit*: tunc similiter obstat exceptio rei iudicatæ, quia debet intelligi de omni causa quæ incumbat actori probari: ita singulariter & in specie solus Bald. licet sic non declaret, in *cap. Cum super de caus. pos. & propr. 2. column. num. 8.* Intellego tamen istum finalem articulum, & conclusionem, nisi ex actis possit apparere causa ex qua sententia absolutoria fuit lata: argumento Glossa singularis in *leg. Si quis ad exhibendum. ff. de Except. rei jud. quam ibi sequuntur Bartol. & communiter DD. & dicit singulariter Bald. in leg. Præcedente*; & secundum istam distinctionem, debet intelligi Faber. in *§. Retinenda. 10. column. numer. 31.**

178 Item in materia nostra principaliter quæro; si hoc iudicio & remedio possessorio intentato, uterque litigantium dicit & præten dit se possidere, & probat possessionem, & petit ab alio non molestari vel inquietari, & petit alia, de quibus *suprà*: Qualiter iudex debeat tali casu preferre sententiam, & quis eorum veniat condemnandus, vel absolvendus? Et iste articulus est valde subtilis, dubius, & quotidianus: in quo resolutivè pono veras & magis communes conclusiones.

Prima conclusio: Si uterque possidet justè, diverso tamen titulo respectu possidendi, ut proprietarius & usufructuarius, & unus turbat alium; tunc quilibet poterit agere hoc interdicto: ita probat textus in *leg. Si duo. ff. Uti possidetis*, & ibi Bart. in *princ. & melius in 2. column. versic. Si constaret*, Alberic. Angel. Rainer. & communiter DD. textus in *leg. final. versic. 1. eod. titul. idi: Et si alter usumfructum, alter possessionem sibi defendat*, & ibi expressè tenent & notant Glossa ordinaria, Bartol. Alberic. qui legunt illam *leg. in §. Præcedenti*, Angel. & Rainer. communiter DD. Glossa notabilis ordinaria quæ benè declarat in *cap. Licet causam, de probat. in verb. Uti possidetis, post princip. & ibi Innocent. penultim. column. prope finem. Hostiens. penultim. column. num. 67. Abb. antepenultim. column. num. 36. Glossa in leg. unic. Cod. Uti possidetis, in verb. Prohibebit, post princip. & ibi Jacob. Butr. fin. column. in princ. Cin. penult. column. in fin. vers. Secundo casu. Bartol. fin. column. in princ. Alber. penult. column. in med. Salycet. penult. column. post princip. Rofred. in *Libellis suis, in tit. de Interdicto utrobi. 2. col. in fin.**

Secunda conclusio: Si uterque probat se possidere in solidum, eodemque jure possidendi, tamquam verus dominus rei, sed unus probavit per plures vel meliores testes; ille tantum debet obtinere in hoc interdicto. Et intelligo meliores testes, secundum qualitatem & dignitatem personarum, vel secundum verisimilem depositionem & rationem testium secundum naturam & qualitatem negotii, argumento textus notabilis in *leg. Ob carmen. §. fin. ff. de Testibus, ibi: Si verò ex his quidam eorum aliud dixerint, licet in pari num. credendum est secundum quod nature negotii convenit*, & ibi: *Et que rei aptiora & vero proximiora esse compererit*, & ibi notant & reputant solemnem in materia nostra turbatæ possessionis Bartol. Odofred. Bald. Salyc. Jacob. de S. Georg. & communiter DD. text. in *leg. 3. §. Ejusdem*, ibi: *Aliis numerus testium, alias dignitas & auctoritas, eodem titul. & in expressò istam conclusionem tenet Bartol. in dict. leg. Si duo. 2. column. versic. Quandoque uterque, &c. idem Bart. in leg. unic. Cod. Uti possid. fin. column. post princip. Jacob. Butr. notabiliter fin. column. post princip. idem Jacob. Butr. in leg. Incerti. Cod. de Interdictis. 3. column. post medium. Salyc. in dict. leg. unic. Cod. Uti possid. penult. column. in med. Bald. in leg. Ordinarii, penultim. column. in princip. Cod. de Rei vend.*

Tertia conclusio: Si uterque probat se possidere in solidum eodem jure possidendi, tamquam verus dominus rei, & uterque probat per testes æquales numero & dignitate, sed unus probat de possessione antiquiori quàm alijs; ille de-

debet obtinere, quia secunda possessio præsumitur clandestina, vel vitiosa, cum duo insolidum non possint possidere: istam conclusionem probat textus notabilis, & capitalis in materia in *cap. Licet causam de probat. versicul. Ex præmissis*, & ibi Anton. 10. column. num. 48. & alii DD. & per illum textum istam conclusionem tenet Bartol. in *leg. Si duo. ff. Uti possid. 2. column. versic. Si verò testes*, idem Bartol. in *leg. unic. Cod. Uti possid. fin. column. post princip. Jacob. Butr. ibi, fin. col. post princip. Cin. penult. column. in fin. Angel. fin. column. in medio. Salyc. penult. column. in medio. Jacob. Butr. in leg. Incert. juris. Cod. de Interdict. 3. column. prope finem. Bald. in leg. Ordinarii. Cod. de Rei vindic. penult. column. in princ. Alber. in leg. Si de vi, penult. column. in princip. ff. de Judiciis.*

Quarta conclusio: Si uterque probat se possidere insolidum eodem jure possidendi, tamquam verus dominus, per testes æquales numero, & dignitate, & similiter probant de æquali tempore possessionis, & tamen unus ostendit & probat titulum iustum suæ possessionis, alijs non; ille debet obtinere, quia censetur habere potiora jura, textus est notabilis, & expressus in *dict. cap. Licet causam de probat. vers. Ex præmissis*, & ibi notant DD. & per illum textum tenet Bart. in *dict. leg. Si duo. ff. Uti possid. 2. column. vers. Sed si uterque*. Idem Bartol. in *leg. Una. Cod. Uti possid. fin. column. in medio. Jacob. Butr. fin. column. Cin. fin. column. in princ. Angel. fin. column. in med. Jacob. Butr. in leg. Incerti. Cod. de Interd. 3. column. in fin. Bald. in leg. Ordinarii. Cod. de Rei vind. penult. column. in princip. Alber. in leg. Si de vi, penult. column. in princip. ff. de Judic. Ex quo subtiliter nota, quod licet in isto iudicio, & remedio possessorio non requiratur aliqua probatio proprietatis, quia causatur à sola possessione; tamen benè roboratur, & fortificatur ex ipso titulo proprietatis, cum titulus proprietatis inducat in hoc iudicio prælationem & victoriam, data paritate probationis: ita subtiliter Bald. in *leg. Incerti. Cod. de Interdict. 6. column. num. 14.* & ante eum voluit Bartol. in *leg. Una. Cod. Uti possid. fin. column. in medio. Jacob. Butr. in dict. leg. Incerti. Cod. de Interd. 3. column. in fin.* voluit etiam Anton. & Butr. in *dict. cap. Licet causam de probat. 10. column. num. 45.* Item adde, quod ex hoc notabiliter infertur, quod si partes probarent æqualiter de possessione, & similiter probent titulum, tamen una ipsarum probet de antiquiori titulo; illa præfertur & debet obtinere, quia præsumitur quod ei fuerit prius tradita possessio, argum. text. in *dict. cap. Licet*, & in specie ita singulariter tenet Alexand. in *dict. l. 1. Cod. de Edict. divi Adriani. toll. in princ. num. 2.**

& confirmatur ex sententia Jacob. de Aret. Cin. & aliorum in *leg. Quoties. Cod. de Rei vind.* ubi dicunt, quod si plurib. sit res vendita, & utriusque tradita, & non apparet cui prius, præsumitur prius tradita primo emptori.

179 Quinta conclusio: Si uterque probat se possidere in solidum eodem jure possidendi, tamquam verus dominus, per testes omnino æquales numero & dignitate, & de æquali tempore possessionis, & nullus eorum probat titulum suæ possessionis, vel uterque ostendit, & probat æqualem titulum: ista est valde subtilis & dubia quæstio, in qua reperio aliquas diversas opiniones: Prima est, quod iudex simpliciter pronuntiet eos possessores, dicendo, *uti possidetis ita possideatis*: & sic uterque obtineat, argumento textus in *leg. Si duo in princip. ff. Uti possid.* ubi, si plures possident, quilibet defenditur in possessione per hoc interdictum. Sed ista opinio aperte est falsa: quia textus in *dict. leg. Si duo* loquitur eo casu quo plures possident diverso jure possidendi, ut in casu primo concludo; unde merito quilibet defenditur in sua possessione; in nostro vero casu uterque præten dit possidere insolidum eodem jure possidendi; unde cum hoc videatur impossibile, ut in *leg. 3. §. Ex contrario. ff. de Acquir. posses. cum similib.* non debet sic ferri sententia. Confirmatur etiam, quia sequeretur quod partes venirent ad arma, quod iudex debet evitare; ut in *leg. Equissimum. ff. de Usufruct. cum materia*, & ista consideratione istam opinionem reprobat Bartol. in *dict. leg. Si duo. 2. col. prope fin. ff. Uti possid.* & Glossa ordinaria in *dict. cap. Licet causam, de probat. in verb. Uti possidetis, in medio.* Secunda opinio est, quod sorte dirimatur cui sit adjudicanda possessio, & ille defendatur in possessione, & alius intenet iudicium petitorium vel vindicationis, argumento text. in *leg. 3. in princip. Cod. Commun. de Legat. text. in l. In tribus, cum sequent. ff. de Judic. text. in leg. 5. ff. Famil. ercisc. text. in leg. Generaliter. §. Proinde, versic. Quis ergo. ff. de Fideicom. & istam opinionem tenet Glossa ordinaria in *cap. Licet causam, de probat. in verb. Uti possidetis, in fin. & ibi Hostiens. penult. column. prope fin. & dicit hoc esse justius, & quod per consuetudinem approbatur: idem etiam tenet ibi Joann. Andr. fin. column. prope fin. Felin. penult. column. in fin. qui dicit hanc esse magis communem opinionem. Sed ista opinio etiam est falsa, quia iudicium sortis numquam habet locum, quando vertitur dubium super facto, sed tantum quando est dubium super jure: ista est Glossa reputata singularis in *leg. Una. Cod. Uti possid. in verb. Prohibebit in fin.* quam dicit singularem Imol. in *l. Hujusmodi. §. fin. de Leg. 1.***